

114

112

118

108

123

103

163

063

213

013

Ende

Anfang

103

erat quotidianus et ita in tribus mensibus mortui sunt in urbe XXIV centum millia hominum. Dixit nobis Mamalucus, quod in illis tribus mensibus obierunt in civitate et extra de illis, qui fugerunt pestem, quorum erat maximus numerus, millies mille et septem centum millia hominum. Porro cum tanta hominum strages Soldano denunciata fuisset, obstupuit timens urbis desolationem, sed quidam de assistentibus sibi dixit, quod non timeret, quia, si de qualibet moschea solum unus homo moreretur, essent (b) LX millia hominum, et sub qualibet moschea sunt multa hominum millia. Est enim in illa urbe, ut supra dixi, quasi innumera hominum multitudo. Dicunt quidam Mamaluci, quod Soldanus in toto suo regno non tot homines habeat, quot sunt Caii. Audivi a quadam Venetiano, gentilomo magno et experto, qui credit, quod in tota Italia non sint tot homines, sicut Caii. Mirum profecto est, quomodo tanta communitas regi possit, in qua tam diversi homines de universo mundo sunt de omnibus sectis tam contrariis, quam monstruosis, mirum, quod non se ipsos discerpunt. Taceo de disparatis sectis, ut est nostra, Judaeorum et Tartarorum. Adhuc miraculum est, quomodo ipsi Sarraceni possunt se invicem pati propter sectarum multitudinem in eorum fide. Sunt enim multiplicitate divisi, habent tamen quatuor principales sectas et in qualibet sacerdotes eas defendantes.

Prima est illorum, qui dicunt, quod nemo possit salvare, nisi in lege Machometi, et licet hoc probare non possint aliqua ratione vel auctoritate vel exemplo, tamen contradictibus omnibus modis resistunt et repugnant et habent magnam adhaerentiam.

Secunda secta est illorum, qui dicunt, quod lex nihil est, sed gratia Dei est, qua oportet omnem hominem salvare, qui sine merito, sine operibus, sine legis observatione sufficiens est ad salutem. Sub hac secta sunt Sarracenorum religiosi, quos Sanctos vocant et amicos Dei et Machometi et regni conservatores, ducuntque magnam post se partem vulgi, qui spernentes legem et suis conceptibus obtemperantes hanc sectam nulla ratione vel auctoritate possunt probare, sed miraculis inauditis et prodigiis diabolicis, revelationibus, extasibus, raptibus maniacis, virtutum durissimis exercitiis, nobis horridis etiam auditu, populum inducunt ad honeste vivendum et castitatem praedicant contra principalem Machometi legem, quae dicit, quod omnes utriusque sexus

